

accommodandam esse censet Jansenius, sicque legendum: « Aut quid nequius excogitavit caro et sanguis, » uti nonnulli codices habent, atque hunc dat sensum, eumque varium et multiplicem: « Cum lucidissimus, ait, omnium sol non sit sine defectu, quid caro et sanguis, hoc est, homo ex sese plane fragilis, cogitabit nequius, quam scilicet ut nolit agnoscere suum defectum, suam fragilitatem et frequentes lapsus, sed superbe se efferat quasi sole superior? Id sane si fecerit, graviter idipsum arguetur et vindicabitur. Nam etiam scripta quaedam habent futurum, *excogitabit*, ut habent Græca. Potest et hic esse sensus: Quid nequius, hoc est, quantum malum cogitabit caro et sanguis? ut comparativus *nequius* accipiatur pro positivo, sicut positivum Græca habent, et *quid* accipiatur admirative. Aut certe sensus est: Quid nequius excogitavit caro et sanguis, quam scilicet assidue cogitat? ut significetur corruptionem hominis omnium malorum causam esse, et pessima quæque excogitare. » Verum hi sensus uti incerti et dubii sunt, ita multa suppleant quæ non habentur in textu. Rursam codices Græci hic mire variant, ut eis stare et fidere nequeamus. Romani enim Caraffæ legunt, *et malus excogitabit carnem et sanguinem*; Vaticanus, *et malum excogitabit caro et sanguis*; Complutenses pro *νεκροβν*, id est *malum*, per diæresim legentes *νεκρ* *βν*, vertunt, *et vir qui cogitabit carnem et sanguinem*, repete, deficiet a bono et peccabit.

Quare standum est Latine Vulgatæ versionis a Romanis emendatæ, quæ clara est et plena, sicque habet: « Quid lucidius sole? et hic deficiet; aut quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? » Probat id quod dixit vers. præced. : « Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt; » hosce, inquam, duos hominis defectus, scilicet naturalem per mortem, moralem per malitiam, probat ex simili defectu solis, *q. d.* Si sol qui lucidissimus est, deficiet, Græce *εκλείπει*, id est, eclipsin et defectum patitur, tum quando luna vel nubes se interponunt inter eum et terram, tum quando sol migrat ad Antipodes, itaque terræ pars inferior inter eum et nos se interjicit; rursus sol defecit in passione Christi, et deficiet in fine mundi: quid ergo mirum si homo deficiat, et tenebras peccati, indeque mortis, patiat? homo, inquam, qui constat carne et sanguine: quid enim nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? Sensus est: Quid nequius est peccatore, qui sequitur inventiones et suggestiones concupiscentiæ suæ et vitiosæ naturæ? Est enim homo peccator pessimum omnium animalium, ut ait Aristoteles, lib. I *Polit.* *q. d.* Ergo homo longe abest a perfectione et stabilitate. Si enim sol deficiet, quid mirum deficiere hominem, idque nequiter in peccata carnalia, ad quæ maxime propendet, cum ex ipsa nequitia carnis et sanguinis consutus et compactus videa-

tur? Unde Tigurina vertit, *quid luce solis splendidius? atqui hæc quoque deficiet: non modo caro sanguisque male cogitans in crimine incurret; Syrus, cum transit sol a die, etiam ille habet tenebras: ita etiam homo subjugavit concupiscentiam suam, quic caro et sanguis est.*

At cur deficiet sol? Respondeo, quia est creatura, cujus proprium est posse deficere. Addit S. Chrysostomus, homil. 6 in *Genes.*, ut ex defectu liqueat, solem non esse Deum, uti censuere Persæ aliæque gentes, deceptæ tanto solis fulgore: « Ne te decipiat spectaculum, ait Chrysostomus, ne creatoris honor creaturæ deferatur, » ne tantum lumen putetur esse Numen. Ubi enim est defectus, ibi nequit esse Divinitas et Numen.

Objicit Jansenius: Dæmon est nequior carne et sanguine; ergo non recte, nec vere dicitur: « Quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? » nam nequius est quod excogitavit dæmon; item quod excogitat non infirmitas carnis, sed mala voluntas, sive malitia hominis. Respondeo, « Quid nequius? » subaudi, in terra inter homines, qui sub sole degunt in orbe hoc elementari; dæmon autem fuit incola cæli, nunc est inferni. Adde, per *carnem et sanguinem* hic intelligi concupiscentiam, quæ tam in dæmone est quam in homine: concupiscentia autem nil est nequius.

Pro quo nota: *Caro et sanguis* in Scriptura nunc significat hominem carne præditum, nunc carnis concupiscentiis deditum, nunc corruptionem carnis, nunc concupiscentiam, sive ea in carne, sive in mente resideat, uti sunt concupiscentia iræ, vindictæ, malitiæ, superbiæ, blasphemie, etc. Unde Apostolus hæc inter opera carnis recenset *Galat. v. 19*. Causas varias hujus phrasos dedit can. 34 in S. Paulum. Vide eas, si lubet. Præcipua est, quia caro in homine est officina, imo figulina animæ; atque sicut anima carni suas passiones, sic vicissim caro animæ suas affectiones affricat et communicat. Unde in ira quæ est in mente, ebullit sanguis et bilis in carne; idem est de cæteris passionibus. Alludit ad *Genes. vi. 5*: « Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum. » Ubi Hebr. est *יעקר* *iekser*, id est *figulina*, in qua homo quasi figulus fingit, pingit et format suas imaginationes, concupiscentias et desideria. Sicut ergo caro quasi mutatur in spiritum, cum ipsum sequitur: ita mens ac voluntas in carnem quasi transformantur, cum ipsam sectantur. Hinc et diabolus omnes suas tentationes in homine per carnem et sanguinem, perque concupiscentiam homini insidentem excogitat et suscitatur. Cum igitur homo secum jugiter afferat hanc carnis et concupiscentiæ sentinam, ac quasi cloacæ fontentium delictorum, quid mirum si aliquando delinquat?

Dicit hoc Siracides, tum ut hominem humiliet, et in sancto timore contineat, moneatque jugiter cum carne et sanguine dimicare, ejusque motus statim elidere; tum ut eum in spem erigat divina

miseriæ: hæc enim conscia hujus humanæ infirmitatis et miseræ, prona est ut ejus misereatur eique succurrat; imo idcirco Verbum caro factum est, ut per experientiam disceret compati infirmitatibus nostris, *Hebr. iv. 15*; et cap. *ii. 14*: « Quia, inquit, pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium. » Ita diserte se explicat Siracides cap. seq. vers. 7, 8, 9, 10.

Quocirca *nequius*, primo, proprie idem est quod pejus, sceleratius; secundo, idem quod miserius, ærumnosius, *q. d.* Quid miserius quam quod excogitat caro et sanguis? excogitat enim delicias gulæ et veneris, quæ non nisi dolores creant, morbos et interitum, ut homo redeat in terram et cinerem. Sic enim *nequam* pro misero, et eo quod affligit, sumit Noster cap. seq. vers. 7, 10, et alibi. Et sic ait Christus *Matth. vi. 34*: Sufficit diei malitia, id est miseria, afflictio, sua.

Alludit ad *Job. cap. xxv. 5*: « Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Quanto magis homo putredo et filius hominis vermis » non est mundus a peccato in conspectu Dei? Et cap. *xv. vers. 15*: « Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cæli non sunt mundi in conspectu ejus. Quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? »

Denique ex eo quod hic dicitur, *sol deficiet*, æque ac *Isaiæ*, cap. *xxxiv. 4*, et cap. *lxv. 17*, et *Apoc. xxi. 1*, S. Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius et alii putant in fine mundi solem, lunam, astra, cælos et elementa omnia substantialiter esse annihilanda, vel corrumpenda, ac alium solem, cælos et terram esse creanda: de qua re plura dixi *Isaiæ xxxiv.*, et *II Petri iii. 10*.

ET HOC ARGUETUR. — Ita Romana: in iudicio, scilicet, condemnabitur et punietur a Deo, ne putet homo se ob sequelam naturalis suæ concupiscentiæ, per propitiæ Dei misericordiam evasurum ejus iudicium et ultionem. Quia, ut dictum est *Caino, Gen. iv. 7*: « Subter te erit appetitus ejus: » quare si eum mala germinantem non coerueris, vapulabis.

31. VIRTUTEM ALTITUDINIS COELI IPSE CONSPICIT: ET OMNES HOMINES TERRA ET CINIS. — Tigurina, *ille motem celsi cæli perlustrat, omnes autem homines terra pulvisque sunt.* « Ipse, » scilicet sol, qui præcessit. Virtutem, Græce *δύναμις*, quod vim et potentiam, indeque exercitum potentem significat; unde cum Deus *Hebr.* vocatur *Αδωναι sabaot*, id est, *Dominus exercituum*, Septuaginta vertunt, *Κύριος δυνάμεων*, id est *Dominus virtutum*. Sensus ergo est, *q. d.* « Virtutem, » id est, exercitum altissimi cæli vel altissimorum cælorum, puta planetas et stellas, quarum dux quasi est sol, ipse sol tanquam imperator conspicit et perlustrat: homo vero terræ vermiculus est, ex terræ pulvere compactus, et iterum in

terræ cinerem reiturus. Et tamen sol tam illustris deficiet, patiturque eclipses: non mirum ergo homines tam miseros et fragiles deficere, labi ac peccare. Terra significat originem hominis, quia ex terra formatus est Adam; cinis, finem et interitum, quia moriens in cinerem vertitur. Rationem dat Jansenius: Cum enim, inquit, anima in homine sit velut ignis continue movens et motus, corpus anima destitutum est velut carbo qui in cinerem resolvitur. Unde impii, *Sap. ii. 2*, dicunt: « Fumus flatus est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum: qua exstincta, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tanquam mollis aer, » *q. d.* Vita nostra non est aliud quam vivax ignis in corde existens, qui ad motionem cordis nostri emittit de se scintillas, scilicet sermonem et verba quæ loquimur, et fumum, scilicet halitum respirationis, sicut ignis cum movetur, evomit scintillas et fumum.

Secundo, Lyranus, Dionysius et Palacius *ne ipse* referunt ad Deum, de quo vers. 28, *q. d.* Adeo Deus magnus est, ut tota virtus a cælo ad terram ab ipso intime conspiciatur: interim videt quod virtus et robor hominis est terra et cinis. An non igitur miserebitur ejus? Videt Deus vires Angelorum, cælorum, elementorum et omnium aliorum. Videt igitur vires hominis, quod sint ex corpore, terra; ex anima, cinis: miseretur igitur tam languidæ rei. Sic et Rabanus: « In cæli nomine, ait, cœlestem designat creaturam; in hominis vero, terrestrem: et hoc ostendere vult, quod cœlestis et terrestris creatura ejus æqualiter facta est. Mystice autem virtutem altitudinis cæli Deus conspicit, quando perfectionem sanctorum probando dinumerat. Hominis vero fragilitatem nihilominus novit, cum peccatorum reprobando vitam despicit; quorum opera pulveri et cineri comparantur, quia examine venturi iudicii omnino dissipabuntur, et ad nihilum redigentur. »

Tertio, Syrus vertit, *virtutes cælorum judicat Deus, etiam filios hominum qui sunt pulvis et cinis, q. d.* Deus judicavit et damnavit Angelos, cum ipsi facti sunt dæmones: quanto magis judicavit homines viles et miseros? Græcum enim *ἐπιελάττειν* idem est quod inspicit, visitat, judicat. Simili argumento concludit Apostolus dicens, *I Corinth. vi. 3*: « Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? »

Denique noster Pineda in *Job. cap. xxxviii. vers. 15*, totum hunc locum a *ne quid lucidius sole?* usque ad finem capituli, apposite refert ad pœnam lapsus Adami, puta ad privationem lucis, tum vitæ et immortalitatis, tum felicitatis animæ et corporis, in qua a Deo conditus erat: proxime enim præcessit: « Quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt. » Initio enim capituli recensuit creationem hominis, deestque illi inditas, præsertim quod Deus vesti-

verit eum virtute sua divina; deinde vers. 15, ait: « Testamentum æternum constituit cum illis, et dixit: Attendite ab omni iniquo, ut, scilicet, quasi ex pacto, fœdere pietatis et obedientiæ, felicissimo statu, tum corporis, tum animæ, et rerum omnium amplissima potestate potirentur: un minus, lux illa felicissima illis auferretur, et in supplicium tum ærumnis aliis, tum incredibili corporis et animi infirmitate afficerentur. » Deinde, commemorato hominum lapsu et iniquitatibus, quibus pactum cum Deo initum violaverunt, concludit: « Quid lucidius sole? et hic deficit. Aut quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? et hoc arguetur. Virtutem altitudinis cœni ipse conspiciet, et omnes homines terra et cinis; id est, etiam sine ullo peccato aut culpa sua auferetur homini lux ista solis, quam conspiciamus, sive subeunte nocte, sive opposita umbra alterius astri: quanto igitur majori jure impiis cogitationibus quæ carnis et sanguinis sunt, auferetur lux? Cœlestis ille globus obscuratur: non obscurabitur qui ex terra factus est homo, et arguetur peccati, damnabiturque mortis, ut revertatur in terram et cinerem? Hac ipsa eadem profecto ratione ad pietatem, et jucundam ac tranquillam terræ ac luminis possessionem hortatur Baruch, cap. III, 13, quasi cum Adamo locutus. »

Porro pendent, hæc omnia a vers. 28, ubi com-

mendavit misericordiam Dei, q. d. Omnes creaturæ, adeoque sol ipse, patitur lucis defectum, ideoque ut eum instauret et conservet, eget misericordia, ope et influxu Dei: multo ergo magis eundem patitur homo peccator, qui e palude terræ quasi ranunculus prodiit, et per mortem in tenebrosam atrumque cinerem est reversurus; ideoque multo magis eget misericordia Dei, tum ut a tenebris peccati redeat ad lucem gratiæ, tum ut a tenebris mortis reviviscat ad lucem vitæ et gloriæ sempiternæ: peccatum enim est summus defectus, summa eclipsis animæ humanæ, quam nemo tollere et illuminare potest nisi æternus justitiæ sol Christus Dominus. Rursum pendent hæc a vers. 26: « A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, » q. d. Sicut sol dum lucet vigetque, sua luce confitetur, id est, laudat et glorificat, Deum sui auctorem; at vero cum deficit, occidit, et quasi emoritur, deficit cum luce, et obtenebrescit pariter ejus confessio, laus et glorificatio Dei: ita similiter homo vivens, tum corpore, tum anima per gratiam et spiritum Dei, laudat Deum utriusque vitæ, naturalis scilicet et spiritualis, auctorem. At vero ubi emoritur, vel naturaliter per mortem, vel moraliter per culpam, cum vita desinit pars ejus (corpus) laus et glorificatio Dei. In culpam enim pronissimus est homo, quia ipse non est aliud quam caro et sanguis.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in laude magnalium Dei, celebratque ejus potentiam et misericordiam erga miserum hominem, eamque nobis imitandam proponit usque ad vers. 19. Inde ad finem varia affert documenta ethica, quæ omnia fere tendunt ad memoriam diei judicii, ut illud semper præ oculis habeamus, ad illudque nos comparemus per fugam concupiscentiarum et studium virtutum.

1. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Deus solus justificabitur, et manet invictus Rex in æternum. 2. Quis sufficit enarrare opera illius? 3. Quis enim investigabit magnalia ejus? 4. Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus? 5. Non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei. 6. Cum consummaverit homo, tunc incipiet: et cum quieverit, aperiabitur. 7. Quid est homo, et quæ est gratia illius? et quid est bonum, aut quid nequam illius? 8. Numerus dierum hominum ut multum centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. 9. Propter hoc patiens est Deus in illis, et effudit super eos misericordiam suam. 10. Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, et cognovit subversionem illorum quoniam nequam est. 11. Ideo adimplevit propitiationem suam in illis, et ostendit eis viam æquitatis. 12. Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem

carne. 13. Qui misericordiam habet, docet, et erudit quasi pastor gregem suum. 14. Miseretur excipientis doctrinam miserationis, et qui festinat in judiciis ejus. 15. Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali. 16. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum. 17. Nonne ecce verbum super datum bonum? sed utraque cum homine justificato. 18. Stultus acriter improperabit: et datus indisciplinati tabescere facit oculos. 19. Ante judicium pare justitiam tibi, et antequam loquaris, disce. 20. Ante languorem adhibe medicinam, et ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. 21. Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam. 22. Non impediarius orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari: quoniam merces Dei manet in æternum. 23. Ante orationem præpara animam tuam: et noli esse quasi homo qui tentat Deum. 24. Memento iræ in die consummationis, et tempus retributionis in conversatione faciei. 25. Memento paupertatis in tempore abundantiae, et necessitatum paupertatis in die divitiarum. 26. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, et hæc omnia citata in oculis Dei. 27. Homo sapiens in omnibus metuet, et in diebus delictorum attendet ab inertia. 28. Omnis astutus agnoscit sapientiam, et inveniendi eam dabit confessionem. 29. Sensati in verbis et ipsi sapienter egerunt: et intellexerunt veritatem et justitiam, et impleverunt proverbialia et judicia. 30. Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. 31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. 32. Ne oblecteris in turbis nec in modicis: assidua enim est commissio illorum. 33. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, et est tibi nihil in sacculo: eris enim invidus vitæ tuæ.

PRIMA PARS CAPITIS.

1. QUI VIVIT IN ÆTERNUM, CREAVIT OMNIA SIMUL. — Quæres, quomodo simul? nam Genes. I liquet ea esse successive creata a Deo per sex primos mundi dies. S. Augustinus et eum secutus Cajetanus, ex hoc loco contendit ad litteram omnia uno eodemque die simul a Deo esse creata: sex vero illos dies qui nominantur Genes. I, vel significare ordinem creaturarum inter se, quæ scilicet prima sit, quæ secunda, quæ tertia; vel mystice esse accipiendos, tantumque significare varias Angelorum cogitationes et considerationes circa res creatas, quarum una secundum se posebat prius fieri quam altera. Ita ipse, lib. IV De Genes. ad litter. cap. xxxiii et xxxiv; et lib. V, cap. xxiv; et lib. VI, cap. III; et auctor De Mirabil. S. Scriptur., lib. I, cap. I, qui exstat tom. III S. Augustini. Sex, inquit, dies in Genesi, in Angelorum diversa intelligentia sunt accipiendi. Verum ad litteram sex illos dies ut sonant esse accipiendos, ut per eos successive res sint creatæ, liquet ex simplici narratione Mosis, Genes. I. Vide ibi dicta.

Primo ergo, melius alii respondent omnia simul esse creata creatione proprie dicta. Creatio enim est et dicitur, cum res producit ex nihilo, sine ulla materia præjacente. Talis autem fuit duntaxat

primo die, imo primo instanti mundi: illo enim creavit Deus cælum, terram et abyssum ex nihilo; ex illis deinde cætera omnia sequentibus quinque diebus non tam creavit, quam formavit et distinxit. Quare omne quod proprie creavit ex nihilo, hoc totum primo die creavit: primo enim die creavit omnem mundi materiam, ex qua cæteris diebus cuncta in suas species et formas effinxit, sicut figulus ex luto varias vasorum formas effingit. Ita Franciscus Suarez, lib. I De Opere sex dierum, cap. x, num. 22.

Hinc secundo, « simul, » quia primo mundi die virtute omnia simul creata sunt: nam simul factæ sunt principales mundi partes scilicet cœli et elementa, in quibus alia virtute et quasi in semine continebantur, atque ex illis postea cætera omnia facta sunt: astra enim de cœlo facta sunt, viventia vero ex aquis et terra. Ita S. Gregorius, XXXII Moral. cap. IX et X, D. Thomas I p. Quæst. LXXIV, art. 2, ad 2, Rabanus, Hugo, Dionysius, Lyranus, et alii hic.

Tertio, « omnia » genericè, id est, tam corporalia quam spiritualia, puta tam cœlum et elementa, quam Angelos, simul primo instanti creavit Deus. Ita Concilium Lateranense, C. Firmiter, de summa